

cimus, quod si alter nondum sit determinatus, et firmatus ad faciendum malum, non licet, quia est inductio ad peccatum inclinando animum alterius ad ipsum; et præsertim hoc non licet, quando est in damnum, et præjudicium tertii. Si autem alter sit firmiter determinatus ad faciendum aliquod ex his malis, vel ad faciendum majus malum, tunc multi dicunt id licere saltem sub conditione, quia tunc per se non influit in minus malum, sed revocatur a majori. Quare sic debet intelligi ista sententia, quod in illo casu est licitum consulere illud minus malum, non positive inclinando, et influendo in illud ut fiat; sic enim urget valide argumentum, quia ille qui eligit tale minus malum, etiam relinquendo, seu nolendo majus, peccat; ergo et ille qui consulit, si

eo modo consulit, quod ille eligit, id est, positive ad id inclinando. Solum ergo consulens potest negative, aut permissive se habere erga minus malum, scilicet deterrendo a majori malo, et tolerando, aut permittendo, vel omittendo minus, verbi gratia, si quis dicat: Volo firmiter occidere Petrum, volo te occidere, aut pecuniam tollere, possum dicere: Ne interimas, quia est magnum malum, de minori autem, vel tacere, vel solum dicere, quod est minus malum, aut loqui conditionaliter, si hoc non esset malum, tolerabile esset, aut aliquid simile; et latroni offerre possum pecuniam ne me occidat, quia hoc non pertinet ad consilium de furando, sed ad tolerantiam, et permissionem, ut redimam vexationem meam.

QUÆSTIO XVI.

DE USU.

SUMMA LITTERÆ.

Usus, et uti dicuntur correlative ad utile. Utile autem proprie dicitur de medio in ordine ad finem. Et tunc utimur, seu habemus aliquid in usu, quando illud in servitio, et exercitio applicamus ad aliquid faciendum, aut consequendum. Et ideo usus maxime pertinet ad ordinem executionis in his, quæ ordinantur circa finem, quamvis etiam in lata significatione, quamcumque applicationem voluntatis ad aliquid possit significare.

Igitur in articulo primo ostendit D. Thomas usum, seu uti esse actum voluntatis, quia importat applicationem alicujus rei ad operationem, seu exercitium aliquod, et sic supponit ex parte intellectus directionem ordinativam ad id, ad quod exercitium ordinatur, formaliter vero exercetur, et consummatur in ipsa applicatione rei ad talem usum, applicare autem cum tali ordinatione proprium est voluntatis.

In secundo articulo ostendit, non inveniri in brutis hujusmodi actum, qui est uti, quia bruta applicant suas potentias ad usum, et exercitium instinctu naturæ, non arbitrio, et ordinatione unius ad aliud, quod proprie est uti, uti enim respicit utile, et hoc sumitur per ordinem ad finem.

In tertio articulo ostendit, quod uti non versatur circa ultimum finem, quia uti est circa utile, quatenus applicatur in ordine ad aliud. Utile autem non est finis, sed id quod ad finem se habet, et ei accommodum est, et sic finis est fruibilis non utilis.

In articulo quarto ostendit, quod uti directe, et proprie est post electionem, eo quod usus pertinet ad ipsam executionem, ut realiter exhibendam, non ut interius appetendam, et habendam, applicat enim potentias, et utitur eis ad exequendum. Per electionem autem nondum ponitur assensio in re, sed intus eligitur, post illam ergo sequitur usus. Large tamen loquendo de usu, aut etiam reflexe, ante electionem utitur voluntas intellectu ut proponat, et tractet de electione.

QUÆSTIO XVII.

DE ACTIBUS IMPERATIS A VOLUNTATE.

SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat in hac quæstione D. Thomas per novem articulos. Primum est cujus sit imperare, scilicet ad quam potentiam, et ad quæ subjecta pertineat, inde enim maxime pendet notitia quidditatis imperii. Secundum